

... eas dare noluerit, res alienas invasit. §. 5. Et quanti pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dan-

LXVII. Item Hieronymus in Comm. ad c. 3. Epistolæ ad Titum, in fine. [an. 386. in Palestina.]

Scipium condemnat, qui Evangelizantibus necessaria subtrahit.

Apolliticis viris, & Evangelizatoribus Christi in necessariis usus nolle tribuere, sterilitatis scipsum est condemnare.

GRATIAN. QUOD autem decimæ, Episcoporum consensu Monachis licite tribuantur, scribit dicens

LXVIII. B. Hieronymus Damaso Papæ. [fortè c. an. 382. è Palestina Roman.]

Liberum est Clericis decimas Monachis concedere. Quoniam quicquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum, & hospitum invigilare debent; maxime curandum est illis, ut de decimis, & oblationibus, Cenobitis, & Xenodochiis, qualem voluerint, & poterint, sustentationem impendant. Liberum est enim Monachis, & spiritualibus viris Deum timentibus & colentibus, decimas, & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de jure suo in dominium illorum, & usum transferre; nec tam in pauperibus paupertatem, quam religionem attendere.

§. 1. Quod autem Beatus tuus qualiter, utrum usus decimarum, & oblationum secularibus provenire possit; novit velle Sanctitas omnino non licere, protestantibus hoc Divinis autoritatibus paternorum Canonum. Quamobrem, si aliquando fuerint ab his male detenta, que Divini juris esse noscuntur, & in usum transferantur Monachorum, & servorum Dei; Episcopo tamen loci illius præbente consensum, committantur eis omnia perpetua firmitate, & stabilitate subnixata. §. 2. Clericos autem illos convenit Ecclesiæ fidei sustinenti, quibus parentum, & propinquorum nulli suffragantur. Qui autem bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt; sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt.

§. CORR. ROM. Suprà etiam I. q. 2. Clericos, pars hujus Capituli citatur ex B. Hieronymo, in cuius, que extant, scriptis nihil hujusmodi inventum est.

GRATIAN. DE prædiis autem, que à colonis eorum coluntur, sic definitum est in Moguntino Concilio, [Quæsti sunt præterea, &c.] suprà ead.

SI CONTIGERIT EOS CAPELLAS HABERE EPISCOPALI BENEFICIO, AN AB EIS SINT INSTITUENDÆ.

QUÆSTIO II.

GRATIAN. DE Capellis verò, que ab eis possidentur, quod per eorum institutionem à Sacerdotibus sint gubernandæ, probat scribens

I. JOANNES Papa Isaac Syracusano Episcopo. [fortè c. an. 876. Româ in Galliam.]

Vlitis Literis Charitatis vestre, quibus satis perpenditur, quanto studio huic sanctæ Sedi reverentiam exhibetis, non modicè gavisi sumus. Nunc itaque super ea, que consultiis, ut charissimo fratri benignè discretum consilium damus. Delegavit enim nobis pia Manuuctio vestra, utrum Ecclesiæ pro quiete Monachorum à sanctis Conciliis, catholiceque Episcopis eis traditæ, per Sacerdotes ab eis ordinaros, & investitos debeant instrui. Addidit quoque Fratemitas tua, item, & seditionem inter Clericos, Monachosque ex hac causa non modicam esse oram: quod investigatione vestri hostis esse factum nemo ambigat. Habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus astutias ejus. Conatur namque à principio ruinæ suæ unitatem Ecclesiæ rescindere, charitatem vulnerare, sanctorum operum dulcedinem invidia felle inficere, & omnibus modis humanum genus evertere, & perturbare. Dolet enim satis, & erubescit charitatem, quam in Cælo requirit habere, homines constantes ex leute materia tenere in terra. Unde oportet quantum fragilitati nostræ conceditur, ut omnes aditus nocendi ejus veritatis diligentissime muniamus; ne mors ingrediat per portas nostras. §. 1. Consilio itaque mul-

torum Fratrum diligenter exquisito decrevimus, ut amodo Ecclesiæ Monachis traditæ per suos Sacerdotes instituantur. Divinæ enim Leges habent, & seculares, ut cuius est possessio, ejus fiat institutio; & si in dando, quod majus est, facilis fuit charitas; sit facilius in concedendo, quod minus est, sancta largitas. Majus enim fuit possessionem dare, quam sit investituram concedere. Quo modo possessoris jura cognoscuntur, & suorum rerum sibi tributa redduntur, ubi quod suum est, per alterum datur; & cum voluerit, aufertur? Humanis moris est illum vereri, cujus iudicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. Unde fit, ut in partem Episcopi ad servendum Sacerdos proclivior fiat: & sic Episcopus, quod sanctè & religiose dederat, quadam simulata autoritate ad se trahat. Sic itaque privatur mercede, quam consecutus fuerat: tum quia facta charitate aufert, quod dederat; tum quia pravum Sacerdotum discordias, & scissuras amantium, lites & dissensiones inter Episcopos seminantium, verbis nimis factus credulus, quod prius fucate moliebatur lucrari, post detecta fraude conatur quadam usurpatione ex toto auferre. Quorum avertentes calliditates, & hostis verituti fualiones, deinceps omnibus licentiam Monachis damus suarum Ecclesiarum investitorum fieri: ita tamen ut iudicio Synodi, si contra Sacerdotium agere præsumperint, multentur, & felici mucrone Episcopi Sacerdotum picula referentur.

§. CORR. ROM. Caput hoc est cum aliis, que ex antiquo codice Monasterii Populeti sunt habita: ex cuius codicis exemplo & vetustis Gratiani aliqua sunt emendata.

§. PITH. Majus enim investitura sunt tribuit, non possessionem que facti magis est.

Hac autoritate Monachis conceditur investitura suarum Ecclesiarum. Sed videtur contra, dicens

II. URBANUS Papa II. [imò Concilium Moguntiacum c. 38. an. 813. in Germania.]

P A L E A.

Admonemus, atque præcipimus, ut decimas omnino dari Deo non negligatur, quas ipse Deus dari constituit: quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum subtrahat, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. §. CORR. ROM. Post hæc verba in exemplaribus, in quibus non sunt Paleæ, sequitur c. Janæ. In quatuor autem his interpositis Paleis nihil de Monachis agitur, & hæc prior est in Concilio Moguntino I. c. 38. & sententia repetitur in II. c. 10. & in III. c. 17.

III. Item NICOLAUS Papa II. Epist. unic. c. 5. [in Concil. Rom. an. 1059. ad omnes Episcopos.]

P A L E A.

Præcipimus, ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur à Laicis: ut & in dispositione Episcoporum sint: quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur.

§. PITH. Præcipimus. tom. 3. Conc. p. 589.

IV. Item LEO Papa. [fortè c. an. 855. Romæ.]

P A L E A.

Nullus decimas ad alium pertinentes accipiat.

V. Item AMBROSIVS Serm. 1. de Quadragesima. [c. an. 380. Mediolani.]

P A L E A.

Nam qui Deo non vult reddere decimas, quas retinuit, & homini non studet reddere, quod injustè ab eo abtulit; non timet adhuc Deum, & ignorat, quid sit vera poenitentia, veraque confessio. Iste talis homo non potest veram facere elemosynam.

§. CORR. ROM. Habetur in serm. primo de Quadragesima, cujus initium, Ecce nunc: qui cum aliis B. Ambrosii nomen præferentibus servatur in Bibliotheca Vaticana, ac Monasterii Mediolanensis ejusdem B. Ambrosii.

VI. Item URBANUS II. [an. 1095. in Gallia.]

Abbatibus absque Episcopi consilio in parochialibus Ecclesiis Presbyteros non ordinent.

Sanè quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statumus, ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent: sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejusmodi Sacerdotes de populi quidem cura Episcopis rationem reddant: Abbati vero pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant: & sic sua cuique jura referentur. Idem. §. 1. In parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos instituantur, qui eis respondeant de animarum cura, & his, que ad Episcopum pertinent.

VII. Item EX CONCILIO apud Faventiam habito. [fortè apud Placentiam, an. 1095. in Longobardia.]

Quoruncumque Monachorum Ecclesiæ, Episcoporum subdantur regimini.

Statuendum nobis est, quatenus Ecclesiæ quoruncumque Monachorum in singulis parochiis sitæ, Episcoporum, ut decet, divinitus subdantur regimini, eisque debita obsequia exhibeant.

GRATIAN. Ecce Urbanus Papa prohibet investituram parochialium Ecclesiarum per Monachos fieri, quas Joannes Papa eis concessit. Sed illud Joannis Pape intelligendum est de illis Capellis, que cum omni jure suo ab Episcopis, Monachis conceduntur. Istud autem Urbani intelligitur de illis, quas Abbates in propriis prædiis edificant in villis, vel in castellis suis.

AN CAPELLAM IN SUO TERRITORIO ÆDIFICATAM JURE TERRITORI SIBI VINDICARE VALEAT.

QUÆSTIO V.

GRATIAN. TALEs, est Jus territorii habent; tamen potestatem gubernandi populum, & spiritualia ministrandi non habent. Quod etiam de Episcopo intelligendum est. Unde ait

§. CORR. ROM. Videtur contra ordinis rationem, ut inter Episcopum, & tertiam Quæstionem quinta sit posita. Et in omnibus antiquis exemplaribus, exceptis duobus per vetustis, in secunda Quæstione sunt omnes hi Canones, quibus constat quinta Quæstio: deinceps sequitur tertia, & quarta cum suis Capitalis, ut in vulgatis codicibus: tum verba Gratiani, que in vulgatis habentur initio sextæ Quæstionis, & c. consuetudo, faciunt quintam Quæstionem: reliqua verò sextam. Verum hæc, que nunc tractatur, esse quintam Quæstionem ex propositione initio causæ facta perspicuum est. Et potuit Gratianus idem ordinem nunc mutare, quia argumentum quintæ Quæstionis valde conjunctum est illi, que in fine secundæ allata erant. Quam ob causam, ac præterea ab autoritate illorum duorum codicum, & receptum usum citandi hos Canones sub v. Quæstione, visum est nihil esse mutandum.

I. NICOLAUS Papa. [imò ex Concilio Araucano I. c. 10. an. 441. in Gallia.]

Episcopus, qui in alterius diocesi Ecclesiam ædificat, ejus consecrationem sibi vindicare non valet.

GRATIAN. Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio pro quamcumque suorum opportunitate Ecclesiam ædificare disponit; non præsumat dedicationem facere: que illius est, in cuius territorio Ecclesia assurgit. Ædificatori vero Episcopo hæc gratia reservetur, ut quos desiderat Clericos in re sua ordinari; ipsos ordinet is, cujus territorium est: vel si ordinari jam sunt, ipsos habere acquiescat: & omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cuius civitatis territorio Ecclesia fuerit, pertinet.

§. CORR. ROM. Anselmus citat ex Araucano, in cuius 10. cap. fore idem legitur.

II. Item EX CONCILIO TOLETANO IV. c. 34. [an. 633. in Hispania.]

Basilica noviter condita ad Episcopum pertinet, cujus conventus esse constituit.

GRATIAN. Possessio territorii conventum non admittit: ideòque Basilicæ, que novè condita fuerint, ad eum proculdubio pertinebunt Episcopum, cujus conventus esse constituit.

§. CORR. ROM. Canon 34. Concilii quarti Toletani sic habet: Sicut diocesim alienam tricennalis possessio tollit: ita territorii conventum non admittit, &c. ut infra, ead. q. 3. sicut diocesim.

III. Item GREGORIUS I. lib. II. Epist. 19. ad Joannem Subdiaconum. [an. 602. Româ in Aniliam.]

Ædificatori Episcopo in diocesi alterius Ecclesiam consecrare non licet.

GRATIAN. Actor præsentium Joannes frater, & Coepiscopus noster, indicavit nobis, quòd quidam Exuperantius Episcopus ausu temerario in diocesi ipsius Oratorium construxerit; idque sine præcepti auctoritate contra morem præsumperit dedicare: Missaque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum summa te celeritate, ac dilictione convenit emendare: nec ulterius tale aliquid attentare permittas.

§. CORR. ROM. a Nober. Hoc loco in Epistola ipsa injunctur multa.

GRATIAN. QUOD de jure ordinandi, non possidendi intelligendum est. His autoritatibus facile perpendi potest, quòd sive Abbates, sive Episcopi in suis castellis, vel villis Ecclesias ædificaverint; non idèo Episcopo, in cuius Diocesi fuerint, conventus admittatur: & idèo Sacerdotes, juxta illud Urbani & Nicolai, in eis non nisi per Episcopos, cum consensu tamen & electione ædificantium, ordinari possunt.

§. CORR. ROM. a Nober. Hoc loco in Epistola ipsa injunctur multa.

AN JURA ECCLESIA RUM PRÆSCRIPTIONE TOLLANTUR.

QUÆSTIO III.

QUOD autem præscriptione temporis omnia jura tollantur, probatur autoritate Calchedonenis Concilii, & Gelasii Pape, & Toletani Concilii. Prima est hæc

I. EX CALCHEDONENSI CONCILIO, c. 17. [an. 451. in Bithynia.]

Rusticane parochie apud Episcopos, qui eas possident triginta annis sine violentia, permanent immobilis.

GRATIAN. Præ singulas Ecclesiæ a parochiis rusticanas, sive in possessionibus, manere immobilis apud eos, qui eas retinent, Episcopos decernimus: & maxime si sine violentia eas jam per triginta annos tenentes gubernaverunt. Si vero intra triginta annos facta fuerit, aut fiat de his dubitatio; liceat eis, qui se dixerint laesos, propter eas, movere apud Synodum provincie certamen.

§. CORR. ROM. Caput hoc est ex præfata versione, que in Collectione Hirdori: atque ex ea cum duobus Vaticanis ejusdem Collectionis codicibus collata, est emendatum. a Ecclesiis. Apud Balsamonem in codicibus manucriptis legitur, καὶ τὰς ἐκείνων, id est, in unaquaque provincia. Sed in Greco Canone vulgato, καὶ τὰς ἐκείνων, id est, in possessionibus. Græcè est ἐκείνων τὰς ἐκείνων, id est, parochias, que in rivibus, aut que in vicis & pagis sunt.

§. PITH. Dubitatio. 2. V. C. altercatio.

II. Item GELASIVS I. Epist. 2. ad Siculos, c. 1. [an. 494. Româ in Siciliam.]

Triginta annis ab Episcopis possessæ, immobilis permanent dioceses.

GRATIAN. Præsumum nostrorum autoritas emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem: ita tamen, ut viduarum, pupillarum, atque pauperum, nec non & Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statutum dari, quòd hæctenus decretum est: reliquum sibi Episcopi vendicent, ut, sicut antea diximus, peregrinorum, atque captivorum largiores esse possint.

§. CORR. ROM. Idem ibidem c. 2. §. 1. Illud etiam annexi placuit, ut si, quod ab sit, facultates Ecclesiæ, nec non Diocesis ab aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vendicent, quòd tricennalis Lex conclusit: quia & filiorum nostrorum Principum ita emanavit autoritas.

§. PITH. Epist. 2. c. 1. V. C. His qui in Sicilia sunt.

III. Item EX CONCILIO TOLETANO IV. c. 34. [an. 633. in Hispania.]

Territorii possessio conventum non admittit.

GRATIAN. Sicut diocesim alienam tricennalis possessio tollit; ita territorii conventum non admittit.

§. CORR. ROM. a Tertorio. In vulgatis sequetur, possessio: que abest à vetustis, à Burchardo, & Pannormia, & codicibus Conciliorum impressis, & manucriptis, & Non admittit. Sic in editionibus Conciliorum Colonienfis & codice Regio, & vetustis Gratiani exemplaribus, & in Pannormia. Verum in duabus editionibus Conciliorum Parisiensibus, & apud Ivonem habetur, non admittit. Et in duobus Codicibus Vaticanis, & apud Burchardum, non admittit.

IV. Item EX EODEM, c. 33. [an. 633. ibid.]

Tricennalis possessio intra unam provinciam servari debet.

GRATIAN. Quicumque Episcopus alterius Episcopi diocesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit; quamvis a secundum jus Legis, ejus non videatur esse diocesis; admittenda non est contra eum actio repossidendi. Sed hoc intra unam provinciam: extra verò, nullo modo; ne dum diocesis defenditur, provinciarum termini confundantur.

§. CORR. ROM. a Quamvis. In Concilio impresso cum manucriptis collato legitur: Quia secundum jus Legis, ejus videtur esse diocesis, admittenda non est, &c. Ivo autem in tertia parte etiam claritè post verba possederit, sic habet, eam teneat: quia secundum jus Legis, ejus videtur esse diocesis, & admittenda non est, &c. Burchardus autem, quamvis secundum jus Legis, ejus videtur esse diocesis. In Pannormia verò quemadmodum apud Gratianum.

§. Provinciam. Autor Glossæ interpretatur, id est, Diocesim: & in variis Conciliorum editionibus, & duobus codicibus Vaticanis legitur, parochiam, qua voce sæpè diocesis significatur, ut in Canone Apostolorum XIV. Episcopo non liceat alienam parochiam propria relictâ pervadere: & in Concilio Antiocheno, c. 21. vocem provinciam, alii verterunt parochiam, alii diocesim, omninoque in Toletanis hæc voces confunduntur, ut Toletano III. c. 20. & Toletano IV. c. 32. & Bracarenfi II. c. 2. Et in hujus Capituli initio vox, diocesis, partem quamdam, id est, parochiam, significat. Verum in codice Conciliorum Lucensi Regio, & vetustis exemplaribus Gratiani, & Pannormia, & apud Ivonem par. 5. in margine est, provinciam.

GRATIAN. Ecce his autoritatibus probatur, quòd possessionis, &